DE GENTIS FABIAE ORIGINE.

Gentis FABIAE origines, ut IULIAE aliarumque, fama ex primis *Italicarum* historiarum initiis repetuntur, ipsa *Roma* vetustiores. Fuit illa quidem virtutibus maxime insignis, quae fortitudine, constantia et animi magnitudine *Romanos* ex summo rerum discrimine, urgentibus non solum externis sed etiam domesticis tempestatibus, saepius ad salutem revocavit, et ad imperii *Romani* magnitudinem plurimum contulit. Quemadmodum igitur ROMULO bellatori, aeternae urbis conditori, belli praesidem patrem fabula dedit MARTEM, ita FABIORUM genus, quorum virtutes pluribus historiae *Romanae* temporibus clarissimo luce fulgent, saltem ad divinum maximis virtutibus insignem heroem referri placuit. Proinde ad HERCULIS in *Italiam* migrationem fama celebratam eiusque cum EVANDRO *Arcade* commercium [1], a quo heroum principe, IOVIS satu edito, tanquam ex uberrimo fonte tot tamque variae fabularum ductae rationes repetitae erant, oblata annectendi opportunitas commodissima acceptissimaque videbatur. Qui cum GERYONIS boves in *Italiam* duxisset, quo loco EVANDER quondam » paupere sub populo inter desertos dumos" *Palantium* condiderat, *regiam virginem* compressit, EVANDRI filiam, quae » hospite victa sacro FABIUM » de crimine laeto" enixa est, frequentissimae ac clarissimae gentis *Fabiae* auctorem [2]. Alii *nympham* commemorant ma-

---

[1]) LIV. I. 7. DIONYS. HAL. I. 39 sqq.

[2]) SILIUS VI. 634. Cf. IUVENAL. *Sat.* VIII. 13. EVANDRI filiam DIONYSIUS (I. 43) vocat LAUNAM, *Λαῦναν* (quae eadem esse perhibetur ac LAVINIA), ex qua HERCULEM fama est etiam PALANTEM genuisse; VARRO et alii (apud SERV. ad *Aen.* VIII. 51) PALANTIAM, quae ab HERCULE stuprata esse et *Palatino* monti, in quo sepulta est, nomen dedisse fertur; alii aliter.

trem, alii *mulierem indigenam*, γυναῖκα ἐπιχωρίαν [3], in antro iuxta *Tiberim* amnem ab HERCULE domitam [4]. Nec sane referri ad hunc ortum non posse videtur, si post quingentos ab Urbe condita annos Q. FABIUS MAXIMUS VERRUCOSUS signum HERCULIS ingenti specie *Tarento Romam* translatum in *Capitolio* iuxta suam statuam equestrem aere factam ponendum curat [5]; neque etiam est, cur cognomen HERACLA, quod monumentis inscriptum FABIORUM gentilibus tribuitur, ab illa prosapia omnino alienum esse existimes [6].

Nomen FABIUS in ipsa antiquitate eorum, qui in verborum originibus inquirendis operam atque studium collocarunt, ingenii acumen magnopere exercuit: cum alii non FABIOS, sed FOVIOS gentis FABIAE maiores appellatos esse contendant, propterea quod gentis auctor in *fovea* fuerit conceptus; alii illud nomen eos accepisse affirment, quod ursos luposque *foveis* ceperint eamque artem alios docuerint: genuinum nomen postea mutatis duabus litteris in FABIOS transiisse [7]. Talis originatio quamvis sit quod mira quidem principio videatur, tamen in ea haud despicienda utique est quae ad lupos capiendos spectat significatio, cum praesertim ludis *Lupercalibus* fuisse *Fabianorum* sodalitatem constet, nimirum *Lupercorum*, id est sacerdotum LUPERCI Dei, qui greges a *lupis* tuetur: de qua sodalitate infra disputabimus. Alii homines docti verborum FABIUS et *faba* similitudine capti sibi persuaserant, ut LENTULI et CICERONES a lentibus et ciceribus serendis, STOLONES ab excidendis inutilibus radicum circa arbores enascentibus germinibus,

---

3) PLUTARCH. *Fab.* 1. Haud raro γυνή significat puellam. Cf. APPIAN. VII. 49. ἥρα γυναικός.

4) FESTUS v. FOVII. Unde apud poëtas usitata ac decantata de FABIIS haec: *Tirynthius heros* (SIL. VIII. 218), *Tirynthia proles* (II. 3), *Tirynthia gens* (VII. 35), *Herculei nepotes* (VI. 636), *Herculea gens* (OVID. *Fast.* II. 237).

5) PLUTARCH. *Fab.* 22. PLIN. H. N. XXXIV. 7. AUREL. VICTOR *de Vir. Ill.* 43.

6) V. GROTEFEND, *Zeitschrift für Alterth. Wissensch.* I. 1836. H. 9. S. 931. HERACLA (gen. HERACLÆ) alia forma est pro HERACLES, HERCULES; pro quo etiam invenitur HERACLIDA (— Æ) et HERACLES (— ETIS). V. FORCELLIN. *Thes.* Sunt qui *Heraclam* ad *Heracleam*, *Lucaniæ* urbem, pertinere falso dixerint.

7) Commutantur *Fabianus* et *Favianus* apud ULPIAN. ff. 37. 14. 16. V. FORCELLIN. *Thes.* Cf. *Labicanus* et *Lavicanus*, alia eiusmodi multa.

alii ab aliis studiis artibusque nomen traxissent, ita FABIAE gentis auctorem *fabarum* serendarum artis optime gnarum fuisse, atque inde profectum nomen [8]. Quae ratio quanti habita sit, declarant nummi Q. FADII MAXIMI EBURNI (apud PIGHIUM *Ann. Rom.* T. III. p. 45), aedilis curulis an. 630, in quorum una facie COPIAE Deae cornu conspicitur variis fructibus fabarumque siliquis plenum ac foliis floribusque ornatum; in altera parte caput muliebre expressum est vivida vegetaque forma, cuius comam incomptam a fronte facieque reiectam premit corona ex fabarum foliis atque folliculis apte contexta, cincinnis sub eadem per collum defluentibus: quod caput creditur esse CARMENTAE vatis, quae EVANDRUM ex *Arcadia* in *Italiam* comitata est, mater illius virginis, qua HERCULE genitore princeps FABIAE gentis natus est.

In quod tempus gentis FABIAE origines incidunt, eodem ea sacra, quae ad HERCULIS *Aram Maximam* in foro boario fiebant, et *Lupercalia*, quae in honorem PANIS LYCAEI celebrabantur, instituta sunt. Quemadmodum enim EVANDRUM initio duabus sacerdotum familiis, POTITIIS et PINARIIS, sacrorum curam ad *Aram Maximam* demandasse accepimus (v. DIONYS. I. 40. LIV. I. 7. VIRGIL. *Aen.* VIII. 269), ita idem etiam duos ordines instituit LUPERCORUM, sacerdotum LUPERCI Dei, quem *Graeci* PANA appellant, FABIANORUM et QUINTILIANORUM, quibus nomina dederunt FABIUS et QUINTILIUS, horum ordinum antistites [9]. Ac sane dubitari non potest, quin FABIUS ille, FABIANORUM dux eorumque sodalitatis quasi personam gerens, filius HERCULIS idemque gentis FABIAE auctor fuerit; atque verisimile est, eam ipsam ob causam FABIANOS illorum ordinum fuisse nobiliorem, ut POTITII ad *Aram*

---

[8]) PLIN. H. N. XVIII. 3. NIEBUHR *Röm. Gesch.* Bd. III. S. 4. Probabilis esse videtur PIGHII (T. III. p. 46) sententia, PLINII loco (*Iam* FABIORUM, LENTULORUM, CICERONUM, *ut quisque aliquod optime genus sereret*) pro FABIORUM legendum esse FABATORUM suspicantis, quia FABIUS nomen gentile, LENTULUS et CICERO familiarum nomina essent. Nisi forte statuere vis, PLINIUM sive eius auctorem, cum hoc scriberet, eius discriminis fuisse immemorem. Quanquam etiam nomina gentilia ab operibus agrestibus deduci, comprobat nomen HORTENSIUS (ab *horto*) et alia.

[9]) De quibus rebus consulendi sunt OVID. Fast. II. 279. DIONYS. I. 80. PLUTARCH. *Romul.* 21. IUSTIN. XLIII. 1. FESTUS v. *Fabiani.*

Maximam quemdam principatum tenebant: cum praesertim a PROPERTIO poeta (IV. 1. 26) idem HERCULIS filius ante alios et tanquam universorum *Lupercalium* sacrorum summus antistes ac patronus quidam distincto FABIUS LUPERCUS cognomento designetur. Quoniam autem de *Lupercalibus* ipsis eorumque vi ac natura, quae quidem quotannis constituto die lustrationis causa fiebant et usque ad ultimam historiae *Romanae* posteritatem certo ritu agebantur, pluribus disserere a nostro consilio alienum est, arctioribus finibus nos continentes ea tantum attingere in animo est, quae in universum ad FABIOS eorumque cum QUINTILIIS ac sacris ipsis coniunctionem pertinent atque aliquam his rebus lucem afferre possunt.

Luperci a POTITIIS et PINARIIS eo differunt, quod hi re ipsa, non nomine tantum, sacerdotes *Arae Maximae* erant, illi non sacerdotes, sed pastorum iuvenes: id quod ex OVIDII versibus (*Fast.* II. 361 sqq.) apparet, ubi *Lupercalibus* agendis sacra procurant dapesque parant sacerdotes, dum *Luperci* ludos et certamina instituunt; quamquam infitiari nolumus, potuisse quidem PANIS sacerdotes etiam *Lupercos* appellari. Iuventus pastoralis principio *Luperci* erant, »fera quaedam sodalitas et plane »pastoricia atque agrestis germanorum *Lupercorum*, quorum »coitio illa silvestris ante est constituta, quam humanitas et »leges", ut scribit CICERO (pro *Cael.* 11. 26), et qui *Palantii*, pastorum urbe, agrestes ludos suos celebrabant. In *Lupercali*, quod erat antrum sub *Palatino* monte ab EVANDRO PANI Deo *Arcadiae* sacratum (v. VIRGIL. *Aen.* VIII. 343. ibique SERV.), in quo sub cavis rupibus fontes scaturiunt, sacro luco cum PANIS ara cinctum (v DIONYS. I. 79), eodem loco, quo ROMULUS et REMUS expositi esse feruntur (v. PLUTARCH. *Romul.* 21), primum caesis nonnullis capellis sacrificium parabatur (v. OVID. *Fast.* II. 361); quo facto duo iuvenes nobiles adducebantur, potissimum ii quidem, ut opinor, *Luperci* appellati ac duarum sodalitatum duces, et caerimoniis quibusdam peractis sacrum cursum (*ἱερὸν δρόμον* seu *περιδρομήν*. PLUTARCH. l. l., Id. *Caes.* 61) instituebant omnes iuvenes, nudi, subligaculo e pellibus caesarum victimarum facto verecundiae causa crura pudendaque tegente, discurrentes cum circa pagum suum (*κώμην*. DIONYS. I. 80), id est circa montem *Palatinum*, tum per *Palantium* oppidum,

et obvium quemque scuticis (σκύτεσι, cutibus: PLUTARCH.), sive pellibus hostiarum (ut scribit AURELIUS VICTOR *Orig. g. Rom.* 22), sive loris pellium caprinarum, caedentes. Mulieres adultae tantum aberat ut verbera vitarent, ut ultro se offerrent ferientibus, foecunditatem inde augeri partumque adiuvari opinantes (cf. IUVENAL. II. 142). Quotannis eo modo per lusum ac lasciviam currebatur mense *Februario*, qui est mensis februationis seu lustrationis, et quidem die decimo quinto, proprio februationis illius mensis die, quo antiquum oppidum *Palantium* una cum incolis a *Lupercis* nudis lustrabatur et expiabatur [10]. Posteris temporibus cum ex moribus agrestibus ad humanitatem magis magisque *Romani* excolerentur, etiam *Lupercalia* nobilitate crescebant, cum etiam iuvenes nobili loco nati frequentes magistratusque, teste PLUTARCHO (*Caes.* 61. *Anton.* 12), *Lupercorum* sodalitatibus se adiungerent et sacrum cursum antiquo more peragerent. Quis nescit, CICERONEM (*Philipp.* II. 34. III. 45) nunquam omisisse M. ANTONIUM consulem vehementer increpandi occasionem, quod tanquam *Lupercus*, nudus et unctus, per urbem discurrerat, ebrius in foro erat concionatus et C. IULIO CAESARI collegae, qui in rostris, toga purpurea amictus, in sella aurea sedebat, diadema spectante et plaudente populo imposuerat? Iuvenes sacra celebrantes in duas cohortes divisi erant, suo quamque duci subditam. FABIO et QUINTILIO, qui primi duces fuerant, mortuis alii pastorum iuvenes, fortitudine et magno animo praestantes, electi sunt; itaque paulo ante *Romam* conditam ROMULUM et REMUM fratres fuisse FABIORUM et QUINTILIORUM antistites accepimus (v. OVID. *Fast.* II. 377). Ut FABIUS nobilissimus fuerat *Lupercorum* antistes, sic REMUM quoque eiusque cohortem quendam principatum obtinuisse ex hac OVIDII (*Fast.* II. 361 sqq.) narratione satis apparet. Iuventus pastoralis cum quondam circa ROMULUM et REMUM ad festum diem agendum congregata et, sacerdotibus rem divinam parantibus, nudatis corporibus de more ludis dedita esset, subito nuntiatum est, latrones imminere gregibus: quo cognito ROMULUS et REMUS,

---

[10]) VARRO *L. L.* VI. 4: *A Lupercis februatur populus, id est, a Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum.* Cf. PLUTARCH. *Romul.* 21. OVID. *Fast.* II. 19. DIONYS. I. 80.

nudi, ut erant, nam armari longum erat, diverso uterque itinere cum suis cohortibus accurrerunt, et REMO contigit, ut praedam reciperet. Qui ubi rediit, exta verubus stridentia detraxit et omni dapum apparatu potitus, haec certe, inquit, nemo nisi victor edet. Consumta a *Fabiis* carne, quum ROMULUS infelici expeditione facta redux mensas ossaque nuda vidit, indoluit REMUM potuisse vincere, se cum *Quintiliis* suis non potuisse. Hi latrones erant NUMITORIS pastores, in *Aventino* monte e regione *Palantii* greges suas pascentes (v. DIONYS. I. 79). — *Fabiorum* principatus etiam ex ordine sacri cursus elucet, horum cohorte cursum incipiente, *Quintiliis* parvo intervallo subsequentibus (v. DIONYS. I. 80): is certe ROMULI tempore ordo erat. Omnino REMUM cum suis magno et intrepido animo superiorem fuisse verisimile est *Quintiliis*, quorum dux ROMULUS, ut PLUTARCHUS (*Romul.* 6 et 7) scribit, forti quidem magnoque erat animo, sed omnibus in rebus consilio et prudentia civili praestantior, ac magis ad imperandum quam ad obediendum natus. Quia REMUS praedonibus ac NUMITORIS pastoribus tantum negotii facessebat, huic maxime insidiae parabantur. Rebus enim divinis perpetratis cum iuventus in tres cohortes ad currendum certis intervallis divisa quondam ad *Lupercal* constitisset, ita ut REMUS primae, ROMULUS secundae praeesset, hanc tertia alia sequeretur, cumque prima cohors excurrisset, NUMITORIS pastores in *Fabios* ob iram illatarum iniuriarum praedaeque impetum fecerunt, ROMULI cohorte non exspectata armati inermes oppresserunt et REMUM ducem captum vinctumque *Albam* deduxerunt[11]. — Tertia cohors, a DIONYSIO commemorata sed non nominata, quae post *Quintilios* currebat, fortasse quasi accessionem quandam appendicemque efficiebat, non iuvenum modo, sed etiam seniorum, permixtae hominum turbae. Postea vero facta etiam tertia est cohors, nova *Lupercorum* sodalitas, quae priscis duabus adiecta est a C. IULIO CAESARE, *Iuliana* seu *Iulianorum* sodalitas appellata, *τρίτη ἑταιρεία*, *'Ιουλία*. V. SUETON. *Caes.* 76. DIO CASS. XLIV. 6.

---

[11]) AELIUS TUBERO apud DIONYS. I. 80. Paulo discrepat FABII PICTORIS narratio, quam memoriae mandavit DIONYS. I. 79. Cf. LIV. I. 5. AUREL. VICTOR, *Orig. g. Rom.* 22.

Postquam de FABIO, HERCULIS filio, eodem *Fabio Luperco*, atque etiam de *Fabiana Lupercorum* sodalitate diximus, iam progredi ad eiusdem stirpis virum licet, qui sub Urbis conditae tempore vixisse fertur, ad FABIUM, ROMULI *ducem*, sive FABIUM CELEREM *centurionem*. REMUS humiles Urbis muros contemnens cum ludibrio fratris novum opus transiluisset, alii eum ab irato ROMULO, alii a CELERE, ROMULI amico, interfectum esse tradunt; alii a CELERE, operis quodam curatore (ὃς ἦν ἐπιστάτης τῶν ἔργων: DIONYS. I. 87), alii a FABIO, ROMULI duce, alii denique a FABIO CELERE centurione, eum aut scaphio (fodendi hauriendive instrumento) aut rutro aut rastro pastorali esse trucidatum memoriae prodiderunt. Auctores sunt LIV. I. 7. PLUTARCH. *Romul.* 10. AUREL. VICTOR de *Vir. Ill.* 1. OVID. *Fast.* IV. 837 sqq. EUSEB. *Chron.* p. 99. b. (ed. *Pontac.*). Cf. ZONARAS. MARIANI SCOTI *Chron.* ad ann. 3445. PAULUS DIACON. *Hist. Miscell.* I. SERVIUS (ad *Aen.* VI. 780) affirmat, post illud fratrum auspicium fama celebratissimum, certamine irarum ad caedem verso, REMUM a ROMULI militibus in turba ictum cecidisse: cui narrationi antiqua auctoritate confirmatae iam LIVIUS (I. 7), altera fama quamvis vulgatior esset, maiorem fidem tribuisse videtur. His propositis, quandocunque facta res est, nomen interfectoris eiusque ordo satis illustrata sunt. ROMULUS et REMUS, perpetrata AMULII caede et *Albana* re NUMITORI permissa, cum magna *Albanorum* multitudine — quinquaginta familiae feruntur, nobilissima *Troiana* stirpe oriundae — ad novam coloniam condendam profecti sunt, pecunia, armis, servis aliisque rebus necessariis abundantes, voluntario nobilium humiliumque hominum numero comitante. Tota colonorum multitudo erat bipartita, summo ROMULI REMIQUE imperio parens (v. DIONYS. I. 85), ita tamen ut uterque velut exercitus in plures partes esset divisus, quibus singulis dux sive centurio praeerat. Talis ROMULI dux fuit *Talassius* ille, cuius globus ex *Sabinis* virginibus unam, longe ante alias specie ac pulchritudine insignem, rapuit praedamque in ducis sui domum detulit[12]. Nec dissimilem equidem fuisse virum arbitror FABIUM, a quo REMUM interfectum esse accepimus. Rutrum aut, ut alii volunt, ra-

[12]) V. LIV. I. 9. PLUTARCH. *Romul.* 15. SERV. *ad Aen.* I. 655. EUSEB. l. c.

strum pastorale, quo cruentum facinus perpetratum est, ulciscendi cupiditas casu quodam inermis operum curatoris, ubi is nec opinatus murorum humilitatem derisam vidit, manibus obiecit. Nomen CELER, quod apud DIONYSIUM, PLUTARCHUM et OVIDIUM nomen viri proprium perhibetur, nihil aliud quam qualis FABIUS ille quoque munere atque ordine fuerit, declarat. CELEREM nomen, unde *Celerum* ordo oriundus, omni numero vi celeritatis esse alienum, quamquam PLUTARCHUS (*Romul.* 10) interfectorem celeri fuga in *Etruriam* abiisse testatur; etiam VALERII ANTIATIS (apud DIONYS. II. 13) opinionem, tres antiquissimas equitum centurias *Celerum* nomen quaesivisse a CELERE duce seu tribuno suo, falsam esse, iam diu satis constat, demonstratumque est, *Celeres* esse equites, ideoque *Celerem* equitem [13]. Ordo ille, a *Latinis* repetendus, per ROMULUM- *Alba Romam* transiit. CELER *Albae* appellabatur dux seu centurio, qui equo vectus turmae suae imperitabat; quod nomen ROMULUS, cum rei militaris rationes constitueret, ad equitum centurias a se compositas transtulit. Quia FABIO novos muros tuendi provincia demandata erat, eundem, ut qui HERCULIS proles esset, *Celerum Latinorum* ROMULI principem fuisse verisimile est; unde ultro efficitur, ut Urbis conditor, cum equitum centurias constitueret, in eundem primum etiam tribuni *Celerum* dignitatem detulisse videatur. — Admirationem quidem movere nostram poterit, quod ille ipse, cui FABIO nomen, caedem dicatur perpetrasse REMI, licet hic ludis *Lupercalibus Fabiorum* sodalitati praefuerit. At considerandum est, cum fratres *Alba* proficiscerentur, fieri potuisse, ut in colonorum partitionibus par *Lupercalium* sodalitatum ratio non haberetur; praeterea *Fabiorum* et *Quintiliorum* nominibus in universum tantum *Lupercorum* sodalitates distinguebantur, omisso singurum virorum, qui iis continebantur, nominum discrimine, ita ut *Quintiliorum* numero posset aliquis interesse, qui FABIUS, in *Fabiis*, qui QUINTILIUS nominabatur.

Gentis FABIAE origines ex iis, quae disputavimus, ad *Lati-*

---

13) V. RUHNKEN. *Opusc. Lugdun. an.* 1823. T. II. p. 711 sq. WOLF's *Vorlesungen über Röm. Alterth.*, herausgegeben von GÜRTLER und HOFFMANN. *Leipzig* 1835. S. 42. NIEBUHR *Röm. Gesch.* Bd. I. S. 367.

norum populum referendas esse manifestum est. Argumento haud infirmissimo sunt *Fabienses*, quorum PLINIUS[14] mentionem facit, incolae loci in *Latio* non procul *Alba longa* siti, quem, sive ille FABIA, sive FABIUM, sive FABII appellatus fuerit, fortasse antiquissimam FABIORUM sedem ac domicilium habendum esse suspiceris[15]. A cuius pagi incolis *Lupercalia* eximio studio celebrata, atque inde eorum sodalitatem singulari *Fabiorum* seu *Fabianorum* nomine designatam esse, quis est, qui suo quodam iure negare possit? *Fabii* enim, quos ROMULUS *Romam* deduxit, voluntarii fuisse videntur. Cum NIEBUHRIUS (*Röm. Gesch.* Bd. II. S. 198. Anm. 381. Cf. S. 222. Anm. 441) dicit: » FABIOS *Sabina* stirpe oriundos esse memoriae proditur" respexisse is quidem ad LIVII (V. 46) videtur verba: *Sacrificium erat statum in* Quirinali *colle genti* FABIAE: cui testimonio adiicere possis, quod Q. FABIUS PICTOR an. 563 flamen *Quirinalis* erat (v. LIV. XXXVII. 51), ut fortasse alii aliis temporibus (v. PIGH. *Ann. Rom.* T. II. p. 61 et 62). At vero ut id consentaneum sit, nonne pari iure consentaneum esse iudices, si quis ROMULUM quoque, qui in Deorum numerum relatus QUIRINUM nomen accepit et hoc nomine in templo suo in colle *Quirinali* praecipua religione colebatur, *Sabinum* fuisse velit? Meo quidem iudicio nihil aliud inde consequi videtur, nisi quod PIGHIO visum est, QUIRINUM a gente FABIA, quam ROMULUS vivus singulari caritate et familiaritate amplexus eximiis, ut supra audivimus, honoribus affecerat, privata quadam ac praecipua religione semper cultam fuisse. — Alio loco NIEBUHRIUS (S. 380. Anm. 756) dicit: » Quod FABIIS prius fuit cum *Maleventanis* connubium, quam cum plebeiis, id explicari posse videtur ex *Sabina* gentis FABIAE origine," haud dubie memor verborum FESTI v. NUMERIUS: NUMERIUS *praenomen nunquam ante fuisse in patricia familia di-*

---

[14]) H. N. III. 5; *qui ex agro* Latino — Fabienses: *in monte* Albano Foropopulienses: *ex* Falerno Frusinates cet.

[15]) FABIANUM *pagum in agro Sulmonensi*, a PLINIO (XVII. 26) commemoratum, huc traherem, nisi irrigationes, de quibus hoc loco sermo est, ad *Sulmonem in Pelignis*, ubi OVIDIUS (*Trist.* IV. 10. 3) natus est, pertinerent. Erat enim etiam *Latii* urbs, nomine *Sulmo.* PLIN. III. 5: *In* Latio *clara oppida* — Norba, Sulmo cet.

citur, *quam is* FABIUS, *qui unus post sex et trecentos ab* Etruscis *interfectos superfuit*, *inductus magnitudine divitiarum*, *uxorem duxit* OTACILII Maleventani, *ut tum dicebatur*, *filiam ea conditione*, *ut*, *qui primus natus esset*, *praenomine avi materni* FABIUS *appellaretur*. Equidem cum contendere audeo, pace magni viri dixerim, hoc connubium nihil coniungi cum *Sabina* FABIAE gentis origine, tum provoco ad locupletissimos auctores, qui testantur, et cives *Romanos* connubium habuisse cum peregrinis ita, si concessum esset, et usu factum esse, ut connubium finitimis externisque daretur: quorum auctorum alter est ULPIANUS (V. 4), cuius .haec verba sunt: *Connubium habent cives* Romani *cum civibus* Romanis, *cum* Latinis *autem et peregrinis ita*, *si concessum sit;* alter LIVIUS (IV. 3), qui his verbis utitur: *connubium*, *quod finitimis externisque dari solet.* Nihil afferri poterit, cur FABIO post gentis inclytae ad *Cremeram* internecionem connubium cum *Sabina* ditissima concessum non sit, propterea quod et hac coniunctione vetusta nobilissimae gentis auctoritas ad ipsius reipublicae *Romanae* utilitatem ac salutem conservabatur ac confirmabatur, et inde a T. TATII regis temporibus inter *Romanos* ac *Sabinos* artissimum quoddam vinculum intercedebat, ut ex CANULEII oratione apud LIV. IV. 3 et 4 elucet, NUMA POMPILIUS et CLAUDII multique alii nobilissimi *Romani* genus suum a *Sabinis* repetebant.

Embricae. A. DEDERICH.

BLADVULLING.

Bij HERACLIT. *Alleg. Hom.* cap. 17 (pag. 34) wordt van PLATO gezegd: *τὴν γὰρ ὅλην ψυχὴν διήρηκεν εἰς γένη δύο, τό τε λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον ὑπ' αὐτοῦ προσαγορευόμενα.* HERACLITUS heeft geschreven *διήρηκεν εἰς μέρη δύο*, zoo als blijkt uit de volgende woorden: *τοῦ δ' ἀλόγου μέρους εἰδικωτέραν ὑφίσταται διαίρεσιν, εἰς δύο μερίζων.*

Leiden, *Februarij* 1853. E. M.